AUTHOR:

CAESAR, JULIUS

TITLE:

ADDITAMENTUM DISPUTATIONIS DE...

PLACE:

MARBURGI

DATE:

1884

Master Negative #

93-81401-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG93-B2892          Acquisitions      NYCG-WMK
FIN ID NYCG93-B2892 - Record 1 of 1 - Record updated today
UNI
  ID:NYCG93-B2892            RTYP:a    ST:p    FRN:    MS:    EL:u    AD:04-01-93
  CC:9667  BLT:am     DCF:    CSC:d    MOD:     SNR:       ATC:       UD:04-02-93
  CP:gw     L:lat     INT:    GPC:     BIO:     FIC:0      CON:
  PC:s      PD:1884/          REP:a    CPI:0    FSI:0      ILC:       II:0
  MMD:d    OR:?   POL:b    DM:d    RR:d???   COL:b      EML:a      GEN:c  BSE:a
  040      NNC=‡cNNC
  100 1    Caesar, Julius,=‡d1816-1886.
  245 10   Additamentum disputationis de Aristide Quintiliano et orationem in pro
        rectoris munere ineundo pridem habitam=‡h[microform].
  260      Marburgi,=‡bTypis Academicis R. Friedrich,=‡c1884.
  300      XII p.
  500      Issued as the "Indices Lectionum et Publicarum et Privatarum quae in A
        cademia Marburgensi." April 16 to August 15, 1884.
```

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 5/12/93 INITIALS BAP


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDICES

LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM

INDE A D. XVI. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI MDCCCLXXXIV

HABENDAE PROPONUNTUR.

Additamentum disputationis de Aristide Quintiliano et orationem in prorectoris munere ineundo pridem habitam praemisit *Iulius Caesar*.

MARBURGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Redeunte hac scribendi occasione is, cui prooemii indici lectionum praefigendi munus subeundum est, ita uti animum induxit, ut primum quidem appendicem adderet eis quibus auctumno anni MDCCCLXXXII lectionibus indicendis praefatus est. Quod ut faceret, commotus est libro, quem vir rei musicae apud veteres Graecos peritissimus Rudolphus Westphal de hac arte nuperrime edidit ita inscriptum: Die Musik des griechischen Alterthumes. Nach den alten Quellen neu bearbeitet. Leipzig. 1883. Quo in libro Aristidem Quintilianum, cuius aetatem et auctoritatem antea quantum fieri posset depresserat, iam e saeculo post Christum quarto in primum saeculum retrahendum esse censuit, adductus Alberti Iahnii suspicione, quam in editione Aristidis professus est, scriptorem illum propter cognomen pro Fabii Quintiliani rhetoris liberto esse habendum, nulla quidem eorum argumentorum ratione habita, quibus nos Iahnii de Aristidis aetate sententiam refutare studuimus, nova nonnulla eis addentes, quae in libro de Aristide pridem conscripto proposueramus ad demonstrandum, hunc artis musicae scriptorem ad tertium potius saeculum quam ad secundi fere initium, cui adscribi solebat, referendum esse. Et in illa quidem disputatione vel eo processimus, ut sententiae antea a Westphalo defensae, vel in quartum saeculum Aristidem esse deprimendum, non acriter esse obloquendum concederemus. An quid igitur novi emersit, quo eum in castra antehac deserta redeuntem sequi cogamur? Videamus. Et primum quidem Westphalus statim ea in re testem minus certum se praebet, quod in inscriptione operis, quae est ***Ἀριστείδου τοῦ Κοιντιλιανοῦ***, Quintiliani nominis genetivum nomini Aristidis ita additum esse Iahnium censere narrat (p. 249 sq.), ut Quintiliani libertus eo significetur. At hanc nominis explicationem Iahnius tantum abest ut comprobet ut aperte respuat, atque Aristidem cognominatum esse Quintilianum, non Quintiliani, contendat sicut a Byzantinis laudatur ***ὁ Κοιντιλιανὸς [Καντιλιανὸς] Ἀριστείδης***. Pro nihilo igitur habendum est quod Westphalus illo scilicet auctore commendat, neque omnino de tali in latino vel graeco sermone usu genetivi ad manumissorem relati, quantum scimus, certi aliquid constat. Sed res ipsa,

quam pro vera habet, sane Iahnio placuit, Aristidem Quintiliani rhetoris libertum fuisse atque inde cognomen assumpsisse. Quod cum a nominis quidem forma non alienum esse, sed eis argumentis, quibus Iahnius usus est, verisimile redditum non esse, superiore disputatione demonstraverimus*), quaeritur, an quid afferat Westphalus, cur inter tot Quintilianos (quod quidem nomen non inter rarissima est habendum) rhetor ille notissimus arctiore cum nostro Aristide vinculo videatur coniunctus fuisse, ut inde levis per se coniectura maiorem probabilitatem accipiat. Sed tota eius hac de re disputatio adeo coniecturalis est, ut omnia argumenta ei rei, ad quam firmandam adhibenda essent, tanquam fundamento in condicione posito ipso superstruantur. Huius modi enim sunt quae de Aristide Dionysium Halicarnassensem iuniorem musicum secuto, Ptolemaeum praecedente in medium proferuntur. Et Ptolemaeum quidem ipse missum facit, cum dicat (p. 250), ex eis quae Aristides de tonis hyperaeolio et hyperlydio a recentioribus admissis tradat, comparatis cum Ptolemaei contra tonos amplificatos argumentatione, apparere Ptolemaeum etsi non Aristidem ipsum, fontem tamen eius cognitum habuisse. Hinc igitur de Aristide ante Ptolemaeum vivente nihil consequitur, eo minus quod *recentiores* illi, de quibus loquitur, non ob parem cum ipso aetatem, sed Aristoxeni ratione habita hoc nomine appellantur. De ratione autem inter Dionysium et Aristidem intercedente Westphalus p. 251 haec dicit: »Wenn Aristides unter Domitian von Fabius Quintilianus freigelassen wurde, und wenn eine Stelle desselben sich mit einem Fragmente des jüngeren Dionysius von Halikarnass unzweifelhaft berührt, so wird irgend eine Arbeit dieses Dionysius wohl darauf Anspruch haben, dass sie jenes Werk eines Aristoxeneers war, aus welchem Aristides und die späteren Musiker der Kaiserzeit, welche den Stoff wie Aristides disponiren, geschöpft haben. Dass Aristides unter Domitian freigelassen wird, der jüngere Dionysius von Halikarnass unter Hadrian (117—138) seine Schriften schreibt, steht meiner Combination nicht im Wege. Denn nur die zweijährige Regierungszeit des Nerva und die zwanzigjährige Regierungszeit des Trajan, zusammen 22 Jahre, liegen zwischen Domitian und Hadrian in der Mitte. Wird doch Aristides nicht schon v o r seiner Freilassung und auch nicht gleich unmittelbar n a c h seiner Freilassung seine umfangreiche Arbeit über die Musik abgefasst haben, sondern erst unter Hadrian oder gar noch später. Recht wohl konnte ihm damals schon die betreffende Darstellung des j. Dionysius von H. vorliegen, um ihm für die drei Bücher über Musik den Stoff zu liefern« e. q. s. Mittamus implicatas huius argumentationis ambages, quibus efficitur, ut Aristides, siquidem puerili aetate manumissus sit, inter quinquagesimum et sexagesimum aetatis annum opus suum conscripsisse dicatur; nam id manifestum esse videtur, etiamsi certum esset, Aristidem operis sui materiem ex illius Dionysii libris derivasse, ne probabile quidem esse, utrumque eadem aetate vixisse, immo ad posteriorem ipso fonte aetatem epitomatores quos dicunt

*) Roeperi observatio ad hanc quaestionem pertinens l. l. p. VIII non ad *VIII.*, sed ad *XVIII.* Philologi vol. p. 462 referenda erat.

artis minus peritos esse referendos. Accedit quod nimium praedicat Westphalus, omnia quae de Dionysio musico nota sint, cum Aristidis opere manifeste cohaerere asserens. Quanquam haec persequi longum est et ab hoc loco alienum; neque tamen praetermittendum est, praeter titulos pauca tantum de Dionysii libris nota esse, neque ea certa quae Westph. ei tribuit (cf. Grundzüge der griech. Rhythmik. p. 285), minime autem ita comparata, ut propius ad Aristidem quam ad ipsum Aristoxenum accedant. Quod Aristides sophistae, non musici modo de re musica scribit, Dionysius autem ipse sophista appellatur, id ad illius aetatem definiendam nihil valet, neque magis verum est, a scriptore tertiae aetatis genus dicendi *semibarbarum* exspectandum esse (Westph. p. 249). Quod postremo Porphyrium suam doctrinae musicae per partes descriptionem non ex Aristide sed e Dionysio repetiisse statuit, sola eius opinione nititur, in nostra autem quaestione eo minoris est momenti, quod quin ex ipsius Aristoxeni doctrina illa emerserit dubitari vix potest.

Denique ne illud omittamus, quod ab Hermanno Sauppio (Gött. Gel. Anz. 1883, p. 1477), ceterum dubiam de Aristidis aetate quaestionem non decernente, Dittenbergero auctore (Hermes VI, p. 301) observatum est, latina nomina propria, quae $\overline{\text{ui}}$ habent, graecis literis priore aetate $\overline{\text{οι}}$, posteriore demum $\overline{\text{ουι}}$ exhibere solere. Quod licet pro Aristide Quintiliano ad Plutarchi fere aetatem referendo afferri possit, si quidem codices ***Κοιντιλιανοῦ*** habent, tamen controversiam non dirimit, cum antiquiorem formam in nominibus usitatis diutius haerere potuisse consentaneum sit, et ex ipsius nominis Quinti exemplis appareat. Per errorem autem Carolus de Ian (Philol. Rundschau III, p. 1200) Sauppii argumentum ad confirmandam nostram sententiam, quam prorsus comprobat, adhibet, ***Κουιντιλιανοῦ*** in codicibus exstare non recte sumens.

Sed cum huiusmodi disputatio multorum ex eis, quos haec prooemia legere cupimus, animos attentos retinere vix possit, atque ipsa temporis necessitas, qua cogimur, ne latius in hoc campo vagemur, prohibeat, iam alteram partem addere placet ex alio genere desumptam. Itaque, id quod saepius factum est, eorum quae olim coram et currente voce prolata sunt, nonnulla e scriniis depromimus hac occasione et diuturniore memoria vel eam ob causam forsitan non indigna, quoniam ad academiae nostrae fata moresque antiquos pertinent. Accipite igitur orationis ab huius prooemii scriptore anno MDCCCLXIV, cum prorectoris qui tum vocabatur munus susciperet, publice habitae partes quasdam, quarum primaria ad C. F. Hermannum philologum spectans ne nunc quidem aliena et quasi obsoleta esse visa est, cum supervacaneum non esse putemus renovare lineamenta quaedam imaginis ad verum pictae illius viri non ab omnibus nuper in debito honore habiti, cuius vestigia inter alios antesignanos literarum ingenuarum campo graviter impressa semper remanebunt.

Circumspicienti mihi, quanam maxime re mori legitimo, qui prorectorem munus suum auspicantem de argumento ad ipsius professionem pertinente latine praefari iubet, satisfacerem ita, ut ne statim in limine magistratus obeundi auditorum, quorum benevolentia mihi est captanda, taedium potius in me contraherem, sponte se obtulit imago eius viri, quem quasi antesignanum quendam atque optimarum virtutum auctorem in tota vita academica ac literaria me suspexisse non dissimulo, et quem ipsum bis eodem officio fungentem hanc cathedram ornasse memini, Carolum Fridericum Hermannum dico, philologiae quondam in hac academia professorem clarissimum nostrarumque rerum per decennium praesidium atque decus. Exstant inter vos, collegae coniunctissimi, pauci quidem, sed exstant tamen, quibus nomine eius appellato quasi ante oculos versetur gravis honestaque viri species, caput erectum, frons modo contracta modo remissa, per superciliorum capillorumque neglegentius horrentium densitatem maiestate quadam coronata, oculi raro subitoque sublati insigni ardore splendentes, incessus firmus citusque; qui audire sibi videantur vocem pleno ore effusam graviterque sonantem, et — ne eam rem omittam, qua priusquam in hominum conspectum veniret, praesentem se haud raro insignite prodebat — cachinnus torrentis instar volutatus et repente, ne dignitati scilicet officeret, uno quasi ictu interclusus. Sed penitus in omnium, qui in hac urbe quovis vinculo cum eo coniuncti fuerunt, mentibus insidet pia morum integerrimorum, religiosissimae officii exsequendi fidei, denique honestatis perfectae memoria, neque per nostram solum patriam, sed per totam Germaniam et ultra Germaniae fines discipulorum cohors et annis et vitae rationibus multiplex, eruditorumque virorum quotquot doctrinam quovis in genere quamvis ab ipsorum studiis remoto aestimant, et quicunque ingenuarum artium liberalisque disciplinae vim ac momentum recte ponderant, celeberrimum eius nomen venerantur. An verendum mihi est, ne absoni aliquid atque hoc loco indigni facere vobis videar, si istius viri imaginem paucis lineamentis adumbrem eis, qui nunquam eum viderint vel quales eius fuerint laudes non audiverint, memoriam autem revocem apud eos, qui vivum atque florentem cognoverint? Vix arbitror, auditores spectatissimi; nam tam praestantia fuerunt istius viri et de academia nostra et de universa disciplina philologica, quam dicunt, promovenda merita, ut neque a propria huius orationis occasione, neque ab indole disputationis ad studiorum meorum orbem pertinentis abhorreat brevis, quam traditurus sum, de eius moribus ac doctrina narratio, speciem quandam perfecti hominis docti atque vere academici vobis propositura.

Non defuerunt academiae nostrae prioribus saeculis viri linguarum antiquarum, praesertim latinae, pro istorum temporum rationibus satis periti, sed quae fere medio superiore saeculo Lessingio et Winckelmanno maxime auctoribus exorta erat ingenii antiquorum populorum notio, eius vestigia in nostratium philologorum doctrina non ita impressa fuisse videntur, ut recederent a vetere ipsarum linguarum tractandarum scriptorumque explicandorum ratione, et in antiquitatibus tradendis a mera singularum rerum e

scriptoribus excerptarum collectione, qua externam earum condicionem, quantum fieri posset, plenissime cognoscere satis haberent, si quidem omnino philologiam nobiliore in loco ponerent, quam quae theologiae ancilla esset. Sed iam ineunte hoc saeculo Marburgum nactum est antiquarum literarum professorem ex ipsa hac urbe oriundum, virum diu longeque clarissimum, Georgium Fridericum Creuzer, non tam arte grammatica et recta veterum scriptorum tractandorum ratione excellentem, quam multiplici doctrina eoque ingenii lumine splendidissimum, quo rerum gestarum congeriem ad ipsa hominum nationumque ingenia referre, internamque, ut ita dicam, humani generis historiam intellegere atque illustrare non frustra studebat. Cuius viri virtutibus cum nostrae academiae per paucos tantum annos frui contigerit, tamen secunda fortuna factum est, ut ipse cum Heidelbergam ornaret, in instituendo eo viro quam plurimum valeret, quem aliquando harum literarum instauratorem eramus consecuturi. Nam post Creuzeri ex hac academia discessum non talibus viris tradita est eius provincia, qui quid spectandum esset in antiquitatis studio et quales progressus haec disciplina fecisset F. A. Wolfii meritis, recte intellexissent, ita ut nativa atque genuina harum rerum notio percipienda esset ex alio potius literarum ordine — Platneri nostri nomen grata prosequamur memoria — quam e philologiae doctoribus. Faustissime igitur rebus publicis anno tricesimo primo huius saeculi in meliorem statum redactis evenit, ut rerum nostrarum gubernatores academiae, quam olim principes Hassorum inter pretiosissima coronae ornamenta habuissent, maiorem esse curam adhibendam sibi persuaderent, maximamque eis disciplinis, quae non temere uberrima omnis humanitatis in se continere semina visae sunt. Itaque Carolum Fridericum Hermannum, Heidelbergensem tum doctorem, huc evocarunt ad philologiae disciplinam a fundamentis exstruendam una cum eo viro, cuius inexspectatam mortem recenti dolore lugemus, Iosepho Rubinone, maxime historiae antiquae tradendae causa huc accito, et ipso e Creuzeri schola oriundo.

Natus est Hermannus noster anno huius saeculi quarto Francofurti patre librario satis insigni, matre praecellente antiqua honestate atque modestia plebeia, cuius memoriam in filii virtutibus demonstrandis minime praetermittere licet, cum quantum ei deberet, summa significaret pietate, qua eam ad extremam senectutem secum habitantem colebat, et cum ipse dicere soleret, ipsius mores iuste diiudicare non posse, qui matrem non novisset. Inde a prima pueritia ingenii dotibus maxime conspicuus in veteribus linguis discendis adeo excelluit, ut nono aetatis anno Homeri Odysseam sine magna difficultate legeret, et in gymnasium receptus ceteros eiusdem aetatis pueros longe superaret, simul vero a concinente corporis animique cultu aetati apto adeo recederet, ut privatae potius institutioni aut externae scholae tradendus videretur. Itaque undecim annos natus in Weilburgense gymnasium transiit eximiorum praeceptorum nominibus insigne, ubi Eichhoffium optimum ducem eiusque domum quasi alteram sedem vernaculam nactus est. Hinc anno aetatis decimo sexto nondum absoluto ad academiam Heidelbergensem dimissus

est tanta maturitate instructus, ut iam tum, nomine tamen celato, librum publice ederet (Eutropium ab Hausio in nostrum sermonem translatum ab ipso emendatum commentarioque auctum), e quo eum non temerariam his studiis daturum esse operam facile divinari poterat, quanquam ipse hunc praematurum doctrinae puerilis foetum postea nunquam commemorabat, ut puduisse eum falsae ambitionis testimonii videatur. In academia Heidelbergensi lectiones praeter alias audivit philologicas Creuzeri, quem tanquam mystagogum suum pie semper colebat, historicas Schlosseri, ad philosophiam pertinentes Daubii, quibus Hegelii disciplinae per aliquod tempus admotus est, cui addicti in rebus antiquis diiudicandis quantis erroribus haud raro obnoxii essent, postea eo maiore cum studio atque eventu demonstravit, quo accuratius ipse istius disciplinae rationes perspexerat, et quo pluris fructum ad ingenium excolendum inde nascentem semper faciebat. At si in ea doctrina, quae e lectionibus frequentandis colligenda erat, acquievisset, neque sibi neque aliis eum satisfacturum fuisse, facile apparet; tanquam ducibus sane usus est magistris, sed summam doctrinae copiam e privatis studiis, e diligentissima veterum scriptorum lectione iam in ipso gymnasio et per vitae academicae cursum egregio cum ardore sumpsit, atque hac ratione illud effecit, ut per totam vitam minime ab aliorum iudicio penderet, sed fontes adire atque inde rerum notitiam haurire prudentique arbitrio moderari consuevisset. Sic vel maxime Platoni, qui iam puerum allexerat, tum auspice Creuzero operam dedit, cui insignissimum de historia philosophiae Platonicae librum pro eximia sua erga praeceptores pietate postea dedicavit, quanquam quae de hoc philosopho ipse statuit, non magis ex ista disciplina fluxerant, quam tota de originibus genuinae veterum naturae sententia a Creuzeriana omnibus partibus distans. Et cum omnino ad ingeniosas istas de antiquis rebus opiniones, quas visiones inanes nonnunquam dixeris, accedere debere intellegeret sobriam rerum grammaticarum tractationem crisinque in scriptoribus interpretandis ipsisque quaestionibus historicis solvendis recte adhibitam, biennio et sex mensibus apud Heidelbergenses peractis Lipsiam se convertit, quo clarissimi in hoc genere auctoris Godofredi Hermanni nomen eum cum plerisque Germaniae philologis trahebat, ut per aliquantum certe temporis totum se isti disciplinae daret. Nam talis omnino fuit huius viri a prima pueritia usque ad virilem aetatem indoles, ut quicquid susciperet summo cum ardore amplecteretur omnesque officii partes expleret, unde cum magna studiorum negotiorumque varietate eam in rebus gerendis diligentiam atque curam coniungebat, qua effectum est, ut quovis in loco facile primae ei deferrentur. Itaque quamvis literarum cupiditate plerisque iuvenibus praestaret, minime tamen abstinebat aliorum consuetudine et eis consociationibus, quibus bona iuvenum pars illa aetate haud sane minus quam nunc temporis dare solebat. Quantum utilitatis morum firmitudo ex isto summo flore hilaritatis iuvenilis cum cuiusvis honestatis studio coniunctae per Heidelbergensem maxime vitam traxisset, ipse in virilis aetatis culmine constitutus professus est, et quanquam Lipsiae bursariorum, quos dicebant, consiliis, admodum tum suspectis rerum publi-

carum rectoribus, magna cum pertinacia non sine fautorum et propinquorum maerore adeo se implicuerat, ut ad valedicendum academiae ante tempus legitimum adduceretur, tamen eodem tempore validissima doctrinae postea mirifice elucentis fundamenta struxit, et a G. Hermanno propter ingenii virtutes non minus quam vitae honestatem in eis habitus est quos maxime diligeret. Nondum vicesimum aetatis annum absolverat, cum Heidelbergae summos in philosophia honores impetravit, et postquam per domesticam unius anni cum dimidio commorationem uberiorem, ut ipse ait, doctrinae messem fecerat, quam quatuor annis superioribus, integrumque fere annum in itinere per Italiam suscepto peregerat, in ipsa illa academia lectiones philologicas aperuit, quibus cum initio scriptores tantum interpretari veterique philosophiae, praesertim Platoni explicando operam dare vellet, mox ipso auditorum plausu eo adductus est, ut orbe amplificato ad historiam maxime et antiquitates Graecorum se applicaret. Et quanquam statim a studiorum initio nihil a se alienum putaverat, quod cum vita veterum populorum cohaereret, tamen his ipsis lectionibus in ea collocatus est statione, unde et sibi ipsi insignissimam laudem colligeret et discipulis sive libros sive institutionem eius usurpantibus amplissimum atque dignissimum universae philologorum disciplinae aspectum aperiret. Iam enim eam philologiae notionem veram atque perfectam omnique humanitati hinc repetendae aptissimam esse distinctius quam antea perspexit et docuit, quam F. A. Wolfius quasi detexerat et ex eius discipulis nemo maiore cum eventu quam summus Boeckhius explicuerat, ut ad ingenium, mores, universam antiquorum populorum vitam recte cognoscendam omnia referrentur, quae multiplici doctrina variisque studiis philologorum investigarentur atque explicarentur. Hinc exorsus librum de antiquitatibus Graecorum publicis, quam Heidelbergae edidit, ad privatas quoque sacrasque postea extendit, quo egregio exemplo docuit, diligentissimam singularum rerum, quas antea doctissimi viri haud raro tanquam rudem indigestamque molem excusserant, collectionem coniungi posse cum vivida ingeniosaque vitae ipsius descriptione, immo necessariam esse ad eam fulciendam imaginemque veris atque genuinis coloribus decorandam; neque enim ipsius scientiae sed intellegentiae causa doctrinae copias comparari, atque maiora quam ipsam rerum cognitionem eis, qui philologiae studiis operam navarent, non minus quam in omni historia tractanda esse appetenda, nunquam praetermittebat. Sed non minore cura ei scriptorum interpretandorum et ipsius sermonis solvendi excutiendique rationi, quam disciplina Lipsiensis maxime exercitaverat, incumbere eaque discipulos et Heidelbergae privatis et postea Marburgi Gottingaeque, cum seminaria regeret, publicis scholis studiosissime instituere pergebat. Quibus rationibus inter se nexis, coniunctis cum summo ardore et fide, qua in iuvenibus erudiendis eorumque animis exsuscitandis primariam professoris virtutem cerni per totam vitam academicam firmiter tenebat, factum est, ut quamvis aliorum scholae meliorem fortasse in singulis disciplinae partibus tractandis viam indicarent fructusque inde splendidiores colligerent, nemo maiore studio atque alacritate discipulorum animos incenderet, atque perfectiorem nobilioremque

eorum quae literarum antiquarum doctrina consequenda essent, imaginem eorum oculis proponeret.

Talem virum anno huius aevi tricesimo altero rerum nostrarum gubernatores in hanc academiam evocarunt, in qua quid praestiterit ex eis, quae paucis verbis significavi, concludi licebit, demonstrari ne copiosissima quidem oratione unquam poterit. Nam in hoc loco cum agrum incultum quidem neque tamen sterilem reperiret, illam philologi hominis doctorisque academici perfecti imaginem, quam animo conceperat, clariore in luce ponere et ipsa lectionum copia unam eandemque summam nunquam non respiciente exprimere ipsi contigit. Non est huius loci et temporis enarrare, quomodo de vita, literis, arte Romanorum non minus quam Graecorum, de universa omnino antiquitate explananda deque singulis disciplinae partibus, quas partes esse in disceptatione vel maxime peculiari et ipse nunquam omittebat et discipulos omittere vetabat, optime meritus sit. Atqui sunt forsitan, auditores, qui me impletum pietate, quo vitio, si quod est, gloriari nunquam desinam, cupidius huius viri virtutes laudare, erroribus atque vitiis indulgere censeant; verum hoc neminem negaturum esse spondeo, non extitisse virum literis deditum, qui latiorem disciplinae suae orbem et docendo et scribendo expleverit ita quidem, ut eiusdem veritatis studii, eiusdem doctrinae, eiusdem subtilitatis atque diligentiae vestigia ubique agnoscerentur, et ex erroribus ipsis uberrimi rectae rerum cognitionis fontes emergerent. His virtutibus decennium suum Marburgense, quod postea haud raro tanquam auream vitae aetatem respiciebat, collustravit; easdem Gottingensem cathedram per tredecim annos ornans in maiore etiam campo coluit, vel ea in re altissimo, quod sibi proposuerat, officiorum gradui magis appropinquans, quod quam vim ad puerorum institutionem doctrinae philologicae studia habere deberent, ipsi docere licebat. Neque vero minore cura in variis magistratibus, quibus et collegarum et praefectorum fiducia eum admovebat, obtinendis insignem eum fuisse, non desunt in urbe atque academia nostra qui viderint, atque virum honestissimum et quicquid ageret religiosissime et studiosissime, nulla personarum habita ratione agentem, inprimis autem academiae iuvenumque literis operam dantium saluti prospicientem agnoverint. Atque in huius maxime academiae institutione ea bona reperire sibi videbatur, quae recte temperata egregium rerum nostrarum florem facile reficerent servarentque, quanquam inanem formarum morumque vetustorum observantiam obstare potius eius commodis cum crescente sua molestia intellegebat. Qua in re natura eius a prima pueritia nimis irritabilis et pertinacia quaedam ex ipso iustitiae amore optimaque fide oriunda collegis ipsique offensionem nonnunquam attulit, ultimosque maxime vitae annos, quibus assiduum laborem ea qua antea gavisus erat nervorum firmitate non amplius tolerabat, turbavit. At in hac ipsa imbecillitate viri honestas tanquam luculentissimo exemplo elucebat, cum ad liberrimam iniuriae aliis allatae confessionem facile adduceretur, eundemque se praestabat in litibus literariis, quas recusare non solebat, immo acerrime sustinebat, siquidem ipsis literis promovendis inservire videntur.

rentur. Neque per totam vitam magis quam in ipso mortis limine, quod vir aetate atque gloria florens paucis post uxorem intempestive exstinctam diebus, nemine exspectante, exeunte anno huius saeculi quinquagesimo quinto subiit, ista animi integritas atque modestia apparuit, qua nihil humani a se alienum intellegens candidissimum sanctissimumque ex vitiorum recordatione concepit dolorem.

(Hanc oratiunculam sequebantur secundum morem usitatum gratiarum actiones, promissa, vota, e quibus eam partem hoc loco proferre placet, quae ad iuvenes literarum studiosos pertinebat).

Nec minus vestrae benevolentiae, commilitones suavissimi, commendatum me habeatis velim. Quid vobis a me exspectandum sit, quid ipse a vobis exspectem, eo brevioribus verbis ingenue indicare licebit, quod effigiem hominis bonarum artium studiosi non ficto exemplo antea vobis ostendi. Vestra causa academia instituta est, iuvenes Minervae sacris operantes, reipublicae aliquando tanquam columina atque praesidia exstituri; vobis inserviunt, vestris commodis consulunt, quotquot officiis academicis recte atque integre funguntur. Sed ne ipsi vitam perdamus, ne reipublicae facultates frustra in academiae florem conferantur, ne libertas, qua fruimini, ne copiae, quibus adiuvamini, vobis ipsis detrimento potius sint quam nutrimento, omni studio ea captare vos oportet, quibus per paucorum annorum curriculum, quo nullum vel longissima vita gravius atque efficacius vobis offeret, ad verum ingenii totiusque naturae vestrae cultum recte adhibitis viri evadatis, qui nunc estis iuvenes, viri virtute insignes, non mediocris muneris officiis subeundis aliquo modo idonei, sed digni patriae cives, et quod maius est, universi generis humani socii locum suum convenienter obtinentes. Quod non consequemini libris tantum insudando et doctorum umbraticorum sapientiam auribus et pugillaribus excipiendo; — vita vos poscit, agedum cognoscite vitam; iuventae vigor venas implet, gaudete igitur iuventute, dum flos integer adest; — at ne hunc ipsum vigorem atque florem perdite desidia ac prava vitae consuetudine, qua haud exigua iuvenum academicorum pars misere corrumpitur; ne tempus terite inanibus negotiis, vitam publicam non praeparantibus, sed haud raro vana atque obsoleta imitantibus, et quae propria sunt vitae academicae, eis ita utimini, ut ceteris civibus honestorum morum exempla proponatis potius quam frivola in parvis levibusque rebus iactantia gravibus hominibus offensionem afferatis. Sine labore nihil assequemini, quod omnino expetendum sit; sudorem deos ante victoriam posuisse, vetustissimus poeta dixit probissimo quoque cuiusvis aetatis homine assentiente. Tantum igitur absit, ut laborem detrectetis in verba magistrorum iurare contenti, ut eum tanquam optimum corporis animique sani alimentum anquiratis, et in nulla re vobis oblata acquiescatis, nisi quam vestro studio, a pietate atque observantia minime alieno, propriam vobis reddideritis. Contentionum cupidis acies parata est, aperta sunt armamentaria, sufficienti eruditionis atque cuiusvis virtutis suppellectili instructa; hinc arma vestra petite, pugnatores validi, in hoc campo congredimini, statum vestrum tenete, adversarios de suo

deiicite, unde gloriam posterae quoque vitae fructuosiorem reportabitis, quam e rixis arbitrariis, propter armorum certaminis ludum potius quam laesi honoris causa, sed ultra ludi ingenui rationem cum magno temporis abusu et manente corporis deformatione transactis.

Haec ante viginti fere annos admonitionis causa dicta etiam nunc ab occasione novi studiorum curriculi inaugurandi non videntur abhorrere.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

ERNESTUS RANKE, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice* *a*) seminarii theologici *exercitationes ad Novum Test. pertinentes* moderabitur, *b*) *Iacobi epistolam* explicabit die Saturni h. IX; 2) *privatim evangelia Matthaei, Marci et Lucae ratione synoptica* interpretabitur quinis scholis h. IX.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, 1) *publice selecta capita archaeologiae christianae proponet* die Saturni h. VIII; 2) *privatim theologiam biblicam Novi Testamenti* quinquies per hebdom. h. IX explicabit; 3) *privatissime et gratis in societate exegetica Sophiam Salomonis* interpretabitur die Iovis h. VI.

THEODORUS BRIEGER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice exercitationes historicas seminarii theologici* moderari perget die Ven. h. VI—VIII; 2) *privatim* enarrabit *historiae ecclesiasticae partem primam* sexies p. h. h. VII.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, 1) *publice* seminarii theologici *exercitationes systematicas* moderabitur die Martis h. VI; 2) *privatim a*) *theologiae dogmaticae partem priorem* docebit quinquies per hebd. h. XI, *b*) *theologiam symbolicam* tractabit quinquies per hebd. h. XII.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis theologorum h. a. decanus, 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *ad Vet. Test.* pertinentes moderabitur die Lunae h. VI—VIII; 2) *privatim biblicam Veteris Testamenti theologiam* docebit senis scholis quinquies h. X.

ERNESTUS CHRISTIANUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., 1) *publice a*) *de institutis et societatibus caritatis christianae in ecclesia evangelica* disseret die Mercurii hor. matut. VII—IX, *b*) *exercitationes* seminarii theologici *homileticas* die Mercurii h. III—V, *catecheticas* die Saturni h. X—XII una cum interpretatione *homiletica epistolae primae St. Petri* moderabitur; 2) *privatim theologiae practicae partem I.* quinquies h. VIII docebit.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

GEORGIUS EDMUNDUS CONRADUS KESSLER, philos. Dr. theol. Licent., 1) *gratis tironum Veteri Testamento explicando operam dantium exercitationes* moderabitur die Lunae h. VI—VIII vespertinis; 2) *privatim librum psalmorum* quinquies per hebd. h. III interpretabitur.

CAROLUS HENRICUS CORNILL, phil. Dr. theol. Lic., seminarii Philippini repetens, *privatim hebraicae grammatices elementa* docebit quinquies hora VIII.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS GUILELMUS ROESTELL, I. U. et phil. Dr., I. U. P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Augustissimo Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco nec non coronae Boruss. II. cl. eques, 1) *publice speculum saxonicum* interpretabitur die Sat. h. XI; 2) *privatim* docebit *ius ecclesiasticum* quinquies h. X.

CAROLUS FUCHS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Augustissimo Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. II. cl. cum fronde quernea eques, 1) *publice practicum criminale* semel h. IX instituet; 2) *privatim a) processum civilem imperii germanici* sexies h. VIII, *b) ius criminale* quinquies h. IX profitebitur.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice selectas e iure pandectarum materias* tractabit semel per hebd. h. XI; 2) *privatim a) primam pandectarum partem, doctrinas sc. universales et iura in re, Arndtsio duce,* quinquies per hebd. h. X, *b) alteram pandectarum partem, ius sc. obligationum, eodem duce,* quater per hebd. h. XI, *c) historiam iuris privati Romanorum, proprio schemate duce,* quinquies per hebd. h. XII docebit.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice institutionum Iustiniani* quasdam partes interpretandas proponet semel per hebd. hora audituris commoda; 2) *privatim a) institutiones iuris romani* quinquies per hebd. h. XI docebit, *b) historiam processus civilis Romanorum* die Mercurii h. IV et V tradet, *c) examinatorium de iure romano cum exercitationibus exegeticis* diebus Lunae et Iovis h. VI et VII in seminario iuridico instituet.

IUSTUS BERNHARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., ordinis iurecons. h. a. decanus, 1) *publice historiam conatuum consequendae unitatis imperii germanici inde ab anno 1815* semel h. V narrabit; 2) *privatim a) ius germanicum privatum cum iure feudali* sexies h. VIII, *b) ius mercatorium et cambiale* sexies h. IX.

FRANCISCUS EDUARDUS DE LISZT, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice de origine atque progressu rei carcerariae* disseret die Iovis h. V; 2) *privatim a) processum civilem imperii germanici* profitebitur quinquies h. VIII a. m, *b)* in seminario iuridico *practicum criminale* instituet die Ven. h. VI—VIII p. m.; 3) *privatissime et gratis quaestionum criminalium* tractationem moderabitur.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

VICTOR PLATNER, I. U. Dr. et P. P. E., docebit, 1) *publice ius maritimum* die Mercurii h. XI; 2) *privatim a) ius ecclesiasticum* quin. dieb. h. X, *b) historiam iuris germanici* h. XI quat. dieb.

ADOLPHUS FRANTZ, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice de principiis, quibus ecclesia evangelica Borussiae utitur,* semel per hebd. h. IV disseret; 2) *privatim a) ius criminale imperii germanici* quinquies per hebd. h. XII docebit, *b) doctrinam processus criminalis imperii germanici* quater per hebd. h. XI tradet; 3) *privatissime examinatorium de iure ecclesiastico cum exercitationibus exegeticis* bis per hebd. hora audituris commoda in seminario iuridico instituet.

RUDOLPHUS STAMMLER, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice de iuris constituendi rationibus philosophicis recentiorum* die Iovis h. IV disseret; 2) *privatim* docebit *a) ius hereditatis* quater per hebd. h. IX, *b) processum concursus creditorum imperii germanici* diebus Martis et Veneris h. X; 3) *privatissime practicum de iure pandectarum* semel per hebd. in seminario iuridico instituet.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. IV—VI instituet.

BERNHARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. III—V instituet.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

HERMANNUS NASSE, med. et phil. Dr., physiologiae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis coronae Boruss. II. cl. et aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice de corporis humani functionibus* semel h. VI p. m. cum auditoribus sermonem habebit; 2) *privatim physiologiam generalem* binis scholis h. VI p. m. docebit.

GUILELMUS ROSER, med. Dr. et chirurgiae P. P. O., instituti clin. chir. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice examinatorium de chirurgia* offert; 2) *privatim chirurgiam generalem* docebit quater h. VII; 3) *privatissime a) clinicen chirurgicam* diriget h. VIII—X, *b) cursum operationum* instituet h. V.

NATHANAEL LIEBERKUEHN, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, 1) *publice examinatorium de rebus anatomicis* offert semel per hebd. habendum; 2) *privatim anatomiam topographicam* die Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. X tradet; 3) *privatissime exercitationes microscopicas* una cum G. Wagener, E. Gasser et I. Strahl die Lunae, Mercurii, Iovis h. XI—I moderabitur.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* offert semel p. hebd. habendum; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater p. hebd. h. VI—VII et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen et policlinicen medicam* h. X et dimid. — XII moderabitur.

HERMANNUS SCHMIDT-RIMPLER, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, ordinis coronae Boruss. IV. cl. cum gladiis eques, 1) *publice de arte ophthalmoscopii* disseret die Veneris h. XII; 2) *privatissime a) clinicen ophthalmiatricam* moderabitur die Martis, Iovis h. XII—I, die Saturni h. X et dimid. — XII, *operationes* horis posthac definiendis, *b) cursum ophthalmoscopiae et operationum* instituet ter h. XII.

RUDOLPHUS BOEHM, med. Dr, pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacol. director, ordinum Russic. Annae et Stanislai II. cl. eques, 1) *publice experimenta quaedam pharmacologica* instituet singulis scholis; 2) *privatim pharmacologiam et toxicologiam* quinquies h. v tradet; 3) *privatissime exercitationes in laboratorio pharmacologico* moderabitur.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, ordin. Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice psychiatriam propaedeuticam* tradet semel p. hebd. hor. IV; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. hebd. hor. V—VII.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, ord. medicorum h. a. decanus, 1) *publice* offert *examinatorium de rebus physiologicis* semel per hebd.; 2) *privatim a) physiologiae experimentalis alteram partem* quinquies h. IV docebit, *b) chemiam physiologicam* quater h. V tractabit; 3) *privatissime exercitationes physiologicas* ter per hebd. diriget.

FRIDERICUS AHLFELD, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et instituti clinici obstetricii et gynaecologici director, ordinis Albertini Saxonici I. cl. eques et cruce Ruthen. civ. II. cl. decoratus, 1) *publice repetitorium rerum obstetriciarum* semel per hebd. h. IV instituet; 2) *privatim de morbis mulierum* binis scholis h. IV disseret; 3) *privatissime clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. VII.

FELIX MARCHAND, med. Dr. et P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, cruce ferrea decor., 1) *publice anatomiam pathologicam systematis nervosi* docebit semel per hebd.; 2) *privatim anatomiam pathologicam specialem* tradet quinquies h. X; 3) *privatissime a) cursum practicum histologiae pathologicae* moderabitur et *artem cadavera rite secandi* docebit die Lunae, Mercurii, Veneris h. II—IV, *b) exercitationes pathologicas* in instituto pathologico offert.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. E., ordinis coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice de situ viscerum* disseret horis adhuc definiendis; 2) *privatissime exercitationes microscopicas* moderabitur. v. s.

HENRICUS HORSTMANN, med. Dr. et P. P. E., Augustissimo Principi a sanitatis publicae tuendae consiliis, physicus Marburgensis, ordinis coron. Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de epizootiis* et *zoonosis* singulis scholis p. h. disseret; 2) *privatim a) hygienam publicam* quaternis scholis per hebdom. h. II, *b) medicinam forensem iis qui iurisprudentiae operam dant* quaternis scholis p. hebdom tradet.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., ordinis coron. Boruss. IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *publice repetitorium de morbis mulierum* semel instituet; 2) *privatim theoriam artis obstetriciae* quinis scholis docebit; 3) *privatissime operationes obstetricias* bis per hebd. demonstrabit.

AEMILIUS GASSER, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice de penitiori organorum sensuum structura* semel per hebd. disseret; 2) *privatim histologiam* ter per hebd. docebit.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet; 2) *privatim exercitationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., *privatim de morbis cutaneis* disseret ternis scholis h. VII matut.

ERNESTUS FRERICHS, med. Dr., 1) *privatim de arte morbos internos microscopicis et chemicis explorationibus cognoscendi* bis per hebd. horis adhuc definiendis disseret; 2) *privatissime artem percutiendi et auscultandi aegrotos* adiunctis *exercitationibus practicis* quater per hebd. hor. IV docebit.

IOANNES STRAHL, med. Dr., *privatim osteologiam et syndesmologiam* diebus Martis, Veneris, Saturni docebit h. XI.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice theoremata quae ad curvaturas superficierum spectant* dieb. Merc. h. III—V exponet; 2) *privatim calculum differentialem* docebit quinquies per hebd. h. IX.

CONSTANTINUS ZWENGER, med. et phil. Dr. et chemiae pharm. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice examinatorium de chemia et pharmacia* instituet; 2) *privatim chemiae experimentalis partem primam* sexies h. IX docebit; 3) *privatissime exercitationes chemicas* more solito diriget.

GUILELMUS DUNKER, philos. Dr., mineralogiae et geologiae P. P. O., instituti geologici et palaeontologici academici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum montanarum consiliis, ordinum aquilae rubrae Boruss. IV. cl., Philippi magnanimi Hassiaci et Petri Friderici Ludovici Oldenburgensis I. cl. eques, 1) *publice de rebus geologicis et palaeontologicis* disseret die Saturni h. XII; 2) *privatim geologiam* tradet quater per hebd. h. XII.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice regni anglici reditus publicos* explanabit bis p. h. die Merc. h. VIII—X; 2) *privatim redituum publicorum theoriam et administrationem* docebit quat. p. h. horis die Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

ERNESTUS ADOLPHUS HERRMANN, philos. Dr. et hist. P. P. O., ord. aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes historicas* moderabitur bis p. h.; 2) *privatim historiam universalem inde ab anno 1500 usque a. ad 1648* enarrabit quater h. X.

ALBERTUS WIGAND, philos. Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti pharmacognostici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice a) de naturae harmonia* disseret X scholis die Merc. h. IV, *b) excursiones botanicas in agro Marburgensi et demonstrationes in horto* instituet die Sat.; 2) *privatim a) botanicen generalem* docebit sexies h. II, *b) botanicen systematicam* tradet et *plantas medicinales* explicabit sexies h. VII; 3) *privatissime a) exercitationes analytico-botanicas* moderabitur bis per hebd. h. IV—VI, *b) exercitationes microscopicas* instituet bis per hebd. h. XI—I.

CAROLUS IULIUS CAESAR, philos. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologici director, bibliothecae academicae praefectus supremus, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice a*) seminarii philologici sodalibus *Euripidis Iphigeniam Tauricam* interpretandam proponet ceterasque exercitationes solito more moderabitur binis scholis h. x, *b*) *antiquitates Graecorum Romanorumque scenicas* tradet d. Merc. h. VIII—X; 2) *privatim metricam Graecorum Romanorumque artem* explicabit quinis scholis h. IX.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice a*) in seminario philologico *solitas disputationes* moderabitur h. x, *b*) *grammaticae graecae partem alteram* d. Sat. h. XI tradet; 2) *privatim Pindari carmina* interpretabitur quinquies per hebd. h. XI.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice* docebit *theoriam sextantis cum exercitationibus practicis* die Merc. h. XI; 2) *privatim* leget *physices experimentalis partem primam ad phaenomena mechanicae, fluctuationis atque lucis spectantem* h. VIII quinquies; 3) *privatissime* reget *exercitationes physicas practicas* una cum prof. Feussner et Dr. Elsas per quinque dies h. II—V.

CAROLUS DIETZEL, philos. Dr. et polit. scient. P. P. O., 1) *publice de socialismo et de quaestione operaria* semel p. h. disseret; 2) *privatim oeconomiam publicam* docebit quater p. h.

CAROLUS LUCAE, philos. Dr., theodiscarum et linguarum et litterarum P. P. O., seminarii germanici director, ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice a*) seminarii germanici *exercitationes* moderabitur d. Merc. h. IX, *b*) *artem metricam theodiscam* tradet die Merc. h. VIII; 2) *privatim Nibelungiadis exemplar Lachmannianum* interpretabitur quaternis per hebd. scholis d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparativae et philologiae germanicae P. P. O., ordinis aquilae rubrae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice scriptores sanscritos* interpretabitur die Lunae et Iovis h. II; 2) *privatim phonologiam linguarum indogermanicarum* docebit quinquies h. III; 3) *privatissime* et *gratis carmina Hafisi Schirasensis* interpretanda proponet die Martis h. II.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., academiae h. t. rector, 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur bis per hebd.: 2) *privatim propaedeuticen philosophicam i. e. elementa metaphysices psychologiae logices et ethices* docebit dd. Lunae Martis et Veneris h. IV.

RICARDUS GREEFF, med. et philos. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, 1) *publice exercitationes in determinandis animalibus* diriget semel Ven. h. IV; 2) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam animalium invertebratorum* docebit dd. Lun. Mart. Merc. Iov. Vener. h. III; 3) *privatissime exercitationes zoologicas et microscopicas* ternis scholis diriget dd. Lun. Mart. Iov. h. IV.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et literarum recent. P. P. O., seminarii romanico-anglici director, ord. philos. h. a. decanus, 1) *publice exercitationes seminarii romanico-anglici* moderabitur quater per hebd. h. XII; 2) *privatim a*) *historiae literarum franco-gallicarum partem priorem* tradet quater per hebd. h. XI, *b*) *exercitationes palaeographicas* moderabitur binis per hebd. scholis h. XII.

CONRADUS VARRENTRAPP, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea decoratus, 1) *publice* seminarii historici *exercitationes* moderabitur semel p. h. h. VI; 2) *privatim medii aevi historiam inde ab a. 800* enarrabit quater h. IV.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice selecta chemiae organicae et theoreticae capita* semel tractabit; 2) *privatim chemiae experimentalis partem primam i. e. chemiam anorganicam* tradet sexies h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur quotidie ab h. VIII ad h. V.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur binis horis per hebd.; 2) *privatim historiam philosophiae post Kantium* tradet quater per hebd. h. V.

THEOBALDUS FISCHER, philos. Dr., geographiae P. P. O., 1) *publice exercitationes geographicas* instituet die Lunae h. VI; 2) *privatim a*) *oro-hydrographiam generalem* tractabit bis per hebd. diebus Iovis et Veneris h. x, *b*) *geographiam Africae* tractabit ter per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. x.

EUGENIUS BORMANN, phil. Dr., historiae antiquae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea milit. dec., 1) *publice* seminarii historici *exercitationes ad antiquam aetatem pertinentes* moderabitur die Mercurii h. VI—VIII; 2) *privatim de historia romana aetatis Augustae* disseret quater h. VIII.

FRIDERICUS KLOCKE, philos. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineral. acad. director, ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes practicas crystallographicas* moderabitur die Sat. h. XI—I; 2) *privatim petrographiam* docebit bis per hebd.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* disseret *de sectionibus conicis* bis p. h. h. VII; 2) *privatim* tradet *a*) *functionum analyticarum theoriam* trinis scholis h. VII, *b*) *geometriam analyticam planam* quinis scholis h. x.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice de superficiebus et de lineis curvaturae duplicis* disseret die Mercurii h. IV—VI; 2) *privatim a*) *priorem analyseos partem, qua de calculo differentiali agitur*, quinis scholis h. XI, *b*) *priorem algebrae partem sive aequationum, quibus una continetur quantitas definienda, theoriam* ter per hebd. h. XII tractabit; 3) *privatissime* sed *gratis* auditorum *exercitationes circa problemata ab ipsis solvenda* moderabitur die Sat. h. IX—XI.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice a*) *exercitationes archaeologicas* moderari perget d. Lun. h. XII, *b*) *statuas antiquas gypso expressas* interpretabitur d. Mercurii h. III; 2) *privatim archaeologiam graecam* docebit d. Martis Iovis Veneris h. XII.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., bibl. acad. custos, 1) *publice colloquium de rebus physicis* offert semel h. VI—VIII; 2) *privatim physices theoreticae partem priorem* quater h. VIII docebit; 3) de *exercitationibus physicis practicis privatissime* moderandis cf. quae prof. Melde indixit.

MAXIMILIANUS LENZ, phil. Dr., hist. P. P. E., seminarii historici director, 1) *publice* proseminarii historici *exercitationes* semel p. h. moderabitur h. VI; 2) *privatim historiam aevi conversionis publicae Francogallorum* enarrabit *usque ad annum MDCCCVII* quinquies p. h. h. IX.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice a)* seminarii philologi sodalibus *Taciti dialogum de oratoribus* interpretandum proponet h. x, *b)* in prosem. philologo *Protagorae Platonici* interpretationem moderabitur, *exercitationes* reliquas adiunget d. Ven. h. vi—viii; 2) *privatim Plauti Militem gloriosum* interpretandam proponet, *historiam litterarum latinarum antiquiorum praemittet* ter per hebd. h. v.

BERNHARDUS RATHKE, phil. Dr., P. P. E. Halensis, *publice a) de pigmentis artificialibus organicis* disseret semel p. h. h. v, *b) capita selecta technologiae chemicae* tradet semel p. h. h. v.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS MOESTA, phil. Dr., 1) *gratis de vulcanis et rebus vulcaniis* semel disseret; 2) *privatim a) geologiam generalem* quaternis diebus, *b) geologiam chemicam* binis scholis docebit.

CONRADUS KESSLER, phil. Dr. theol. Licent., praeter scholas theologicas, 1) *gratis Buddhae nec non Zoroastri religiones quales sint* enarrabit binis scholis et Mercurii et Saturni diebus h. xii habendis; 2) *privatim linguae arabicae elementa* docebit ter per hebd.

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., 1) *gratis chemiae historiam (p. II.)* semel enarrabit; 2) *privatim chemiam toxicologicam* bis docebit.

MAXIMILIANUS KOCH, phil. Dr., 1) *privatim historiam litterarum theodiscarum ab Opitio usque ad Gottschedium* tradet ternis p. h. scholis; 2) *privatissime* et *gratis exercitationes litterarias* moderabitur singulis p. h. scholis.

BENNO KLEIN, phil. Dr., 1) *gratis elementa geometriae situs* docebit h. ix bis per hebd.

PAULUS NATORP, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes philosophicas ad Leibnitium spectantes* moderabitur singulis p. h. scholis; 2) *privatim historiam philosophiae recentioris usque ad Kantium* tradet quater p. h. h. vi.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., 1) *gratis repetitorium de selectis quaestionibus mechanices theoreticae* instituet die Sat. h. ix; 2) *privatim methodos experimentales in electricitate inquisitionum et mensuras electricitatis* explicabit die Lun. Iov. h. x; 3) *de exercitationibus physicis practicis privatissime* moderandis cf. quae prof. Melde indixit.

GREGORIUS SARRAZIN, philos. Dr., 1) *gratis Tennysonii carmina In Memoriam vocata* interpretanda proponet semel p. hebd.; 2) *privatim historiam linguae anglicae* tradet quatuor per hebd. scholis h. x.

IOANNES STOSCH, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes theotiscas* moderabitur semel p. h.; 2) *privatim grammaticae linguae francicae* tradet quater p. hebd. h. ix.

FRIDERICUS GEORGIUS KOHL, phil. Dr., 1) *gratis repetitorium botanices generalis* instituet die Sat. h. viii, 2) *privatim physiologiam nutritus plantarum* docebit dieb. Martis et Ven. h. iv.

WALTERUS FRIEDENSBURG, phil. Dr., *gratis de civitatum germanicarum rebus gestis et institutionibus* binis scholis h. x disseret.

Doctrinam harmonicam OTTO FREIBERG, concentuum musicorum director, semel gratis tradet, idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert. Delineandi et pingendi artem FR. SCHUERMANN docebit, atque doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam semel gratis tradet. Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.